



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sent. v. Rom. viij. Proprio filio suo non pepercit &c. lxi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

SENTENTIA V. Roman. 8.

Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

PARACLESIS.

CAP. LXI.
Chrysof. in
cap. 8. ad
Rom.

Quo pacto nos deseret Deus, quorum gratia proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit? Cogita, queso, quanta sit bonitatis, neque proprio filio parcere, sed tradere: & pro omnibus tradere: etiam uilibus, etiam ingratis, quin & inimicis. Quomodo non simul cum illo nobis omnia donauit? Si Filium largitus est, idque non simpliciter, sed occisori tradidit: quid amplius de aliis dubitas, cum Dominum ipsum receperis? Quid de opibus dubitas, cum herum habeas? Nam qui quod maius est, inimicis adhuc existentibus dedit: quomodo quae minorae sunt, negaret amicis?

SENTENTIA VI. I. COR. I.

Christus factus est nobis sapientia à Deo, & iusticia & sanctificatio & redemptio: quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Dño gloriatur.

PARACLESIS.

CAPVT
LXII.
Bernard. ser.
22. super
Cantica.
Esa. 9.
Luc. 1.

Vide quadrifariam unctionem, uide affluentissimam atque inestimabilem suauitatem eius, quem unxit Pater oleo letitiae pro consortibus suis. Sedebas o homo in tenebris & umbra mortis, per ignorantiam ueritatis: sedebas uinctus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem IESVS CHRISTVS: non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primo qui-